

196.

prævium symptoma invasisse, ita nec colicis præfidis nec sudorificis, nisi Mercurialibus unguentis succubuisse dicto loco attestatur.

[a] libr. 1. d. morb. intern. c. 41. p. m. 444. [b] in vita Rondeletii. [c] libr. 21. obs. 14. [d] l. 4. obs. Med. c. 6. obs. 8. [e] part. 1. obs. sing. libr. 1. obs. 12. [f] cit. loc. libr. 4. obs. 9. [g] alleg. loc. obs. 2. [h] libr. 4. d. febr. semitert. c. 13. [i] libr. 2. prax. admir. obs. 24.

X V I I.

IX. *Animi commotiones*, præsertim *iracundia*, cujus studiosum quendam dolores istos sæpiùs intolerabiles perpeti adactum novimus. *Exercitium nimium* inflammationis; *otium nimiaque quies* cruditatis autores idem efficiunt, quibus *immoderatam Venærem*, *somniq;* & *vigiliarum* excessum superaddimus. Tantum de causis internis præcipuis. Paucis jam libabimus externas, quas inter.

X V I I I.

I. *Cibus* se offert succilenti & crassi, quali infarctam quandam fæminam colicam incurrisse *Forestus* [a] notavit: *δύσπεπτος*, flatulentus, fugax, quibus de abundantes vide *Avicennam* [b] & *Fienum*: [c] omnis deniq; qui humores vitiosos generare aptus natus est.

[a] libr. 21. obs. 7. (b) cit. loc. tr. 4. cap. 28. (c.) de flatib. c. 8.

X I X.

II. *Potus*. *Cerevisia* damnatur minùs defecata: *hordeaceam* etiam accusat *Crato*. [a] *Vinum* verò omne (*secus experientia*) suspectum ait, præprimis *Moravicum* & *Austriacum*, quibus nativi quidpiam, ad coli generationem inesse asserit. *Mustum* & *vinum hornum* potiori exulant nomine, quippe excrementis abundantia ejusmodi ex usu nimiò colicam incurrisse quempiam *Hildanus* [b] tradit.